



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

C


1198

39

C1198.39













•
DE ADAGIIS

D. ERASMI ROTERODAMI



DE ADAGIIS

D. ERASMI ROTERODAMI

SANCTI-CLODOALDI. — EX TYPIS VIDUÆ BELIN.

o

DE ADAGIIS

D. ERASMI ROTERODAMI

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARIENSI

EMILE CHASLES

PARISIIS

APUD DIDIER, BIBLIOPOLAM

QUAI DES GRANDS-AUGUSTINS, 35

1862

~~III 8997~~
C1198.39

MAY 21 1898

LIBRARY
Bayes fund.

DE ADAGIIS ERASMI

Permuli quidem, nec sane indocti viri, adagia, quæ in quotidianis hominum sermonibus versantur, in unum cogenda susceperunt; ita ut nuper philologus quidam (1), quum adagiorum libros colligeret, amplissimam bibliothecam congesserit. Qui quidem maximum fructum ex eo studio percipi posse credebant. Neque enim tantam operam tantumque temporis in absolvendo incepto consumpserunt, nisi speravissent tantam legentibus utilitatem, quantam sibimetipsis, talem farturam componentibus, voluptatem esse redituram.

Nobis illud quærendum proposuimus utrum aliqua sit scientia adagiorum et qualis sit, quæ vero leges et præcepta illi convenient, quam demum utilitatem litteris attulerint *οἱ παροιμιόγραφοι*.

(1) G. DUPLESSIS. — *Bibliographie parémiologique*. Paris, Potier. 1847.

Ne tamen in tanta operum varietate dispicienda aliquando oberremus, uni modo animum attendemus libro, qui laude unanima et quasi populari fama usque ad hanc diem viguit, videlicet Desiderii Erasmi Adagiis.

I

Quâ mente Erasmus Adagia scripsit.

Desiderius Erasmus, jam vergente quintodecimo sæculo, quum totius Europæ gentes incredibili quodam novarum rerum studio incenderentur, sibi munus suscepit, quod tempus quietum summumque otium postulare videatur. Scilicet adagia veterum collegit : quod opus, etsi neque materia, neque titulo animos vehementer allicere debuit, nihilominus tantâ admiratione acceptum est ut nobilissimum inter eximia temporis ejus opera locum obtinuerit.

Si virtutem fortuna metiris, absolutum omni parte credas opus : quod excusum vix et emissum, necesse fuit ut iterum typographi iterumque prælo subjicerent.

Neque enim solum in Aldina aut Frobeniana officina opus multoties editum, sed ab Erasmo sæpissime retractatum, necnon ab aliis subinde, qui vel locupletandum, vel ad compendii formam redigendum, vel in vulgarem linguam transferendum curaverunt. Quocirca negat philologus noster se *Adagiorum* editiones numerare posse, quas tamen usque ad undequinquagesimam recensuit.

Præterea mirum est quot libri, sequentibus sæculis, ad imitationem *Adagiorum* compositi fuerint. Multi etiam auctores aliquid invenisse sibi plaudunt, quos manifestè

comperias Erasmus secutos esse, ut Schottum illum quem recens Græcorum *παροιμιογράφων* editor, Gaisford (1), monuit longe plura, quam quæ ipse agnoscit, Erasmo debere. Id unum addam, quod præclaram libri fuisse fortunam satis demonstrat; in Tridentino scilicet concilio, quum *Chilidas* neque comprobare possent, neque silentio præterire, neque rursus sperarent penitus aboleri posse, quæ in omnium manibus versarentur, placuisse patribus ut nova et expurgata editione in lucem exirent.

Haud immerito quidem Erasmo feliciter cessit propositum. Novum enim quiddam ac prorsus inusitatum erat in scholis *Adagia* conscribere. In quo opere Erasmus genuinam ingenii sinceritatem servat, quam optime existimaverit si quis ætatis illius mores inspexerit.

Initio enim quintidecimi sæculi, magna exorta est contentio, tum inter *scholasticos* veteris disciplinæ tenaces, tum inter *litteratos* qui novam aliquam studiorum rationem commendare atque auspiciari cupiebant. Præcipua erat apud septentrionis populos theologorum auctoritas, quum contra per totam Italiam liberales antiquorum doctrinæ vigerent.

Sed hoc utrisque commune erat ut propriam quisque opinionem mordicus teneret, neque ulla seu Germanorum monachorum sive Itolorum eruditorum pax coagmentari posset: neque enim ullam extra Ecclesiam salutem, neque extra Italiam aliquid doctrinæ parari posse hinc atque hinc affirmabatur.

(1) *Parœmiographi Græci*, quorum pars nunc primum ex codicibus manuscriptis vulgatur, edidit THOMAS GAISFORD. — *Oxonii*. 1836.

Quocumque igitur te animo vel cogitatione converteris, ostentationem nescio quam miraberis, quâ pariter laborant et qui mediæ ævi morem retinent et qui litteris renascentibus favent. Illos enim qui dialectici vocabantur, obscura quædam disserendi ratio delectabat et argumentorum pæne infinita copia subtilisque et varia ratiocinandi scientia, ab imperitorum intelligentia sensuque longe abhorrens. His vero jam meliori studio deditis, gratissimum videbatur et quasi decentissimum veterum non libros tantum pernoscere sed et mores induere, neque scribendi dicendique solùm, sed etiam cœnandi modum futili quâdam imitatione repræsentare. Quum enim Italia renascentium litterarum quintodecimo sæculo principatum teneret, veterum hæreditatem sibi quasi peculiarem vindicabat; neque videbatur posse quemquam esse aliàs antiquitatis peritum. Imo negabant purum et emendatum latinæ usum nisi ex imitando Tullio provenire posse. Quo igitur risu excipiebant, si quis e regionibus descenderet Aquiloni subjectis, ut civitate donaretur, imo ut inter patricos (si diis placet) adscisceretur!

Erasmus liberam ab utroque jugo cervicem ferens, neque scholasticos secutus est, neque Ciceronianis manus dedit. Scilicet ad majora animum attendebat, et dum illi omnia scholarum et juventutis cura, suo ingenio indulgebant, ipse contra, non eruditorum curiositati magis quam doctæ utilitati consulebat, neque reconditiore scientiæ apparatus affectabat. Antiquitatis linguas litterasque, non ut mortuas vel ex abditis fontibus hauriendas, sed ut redivas proposuit. Quum etiam quæ jacerent in codicum

vel bibliothecarum tenebris eruere et in medium proferre studeret, ea tamen novo cultu ornata et legentibus jucundissima esse voluit; ita ut antiquitatem discipuli non cognoscerent modo, sed etiam amarent. Juvenes igitur ex angustiis in campum eduxit; cum illis vero quicumque moram huic studiorum libertati afferebant, bellum indefessus gessit; et suo Marte pugnavit nunc adversus eos qui barbariem et ignorantiam tempora, veluti societate quadam inter se facta protrahebant, nunc adversus illos eruditos viros qui renascentes litteras injustam usucapione sibi vindicare contendebant.

Proinde et præclaro ingenio et acri memoria fretus, ætate florens, musarum amore percussus, huic operæ totum se dedit, ut Tiberis et Rheni ripas studiorum consortio conjungeret, ideoque amplexus est quidquid in liberalibus disciplinis optimum ac pulcherrimum esset, nedum arctis quibusdam finibus sua studia includeret.

Nimirum hoc certum in omni vitæ illius cursu propositum agnosces. Neglectis enim monachorum clamoribus, qui latinitati sibi non intellectæ hæresin subesse suspicabantur, neglecta etiam eorum ira quos Ciceronis simios appellabat, Erasmus Budæo plaudit, qui certamen cum Italis susceptum viriliter sustinet. Reges ad scientiam excolendam accendit, a quibus maxima his studiis præmia proponi velit. Omnes denique quum voce et epistolis, tum exemplo incitat ut liberalibus artibus refovendis vel auctores fiant vel tutores, vel etiam mirabili quodam consensu omnes præceptores. Libri itaque alii super alios ab Erasmo eduntur, ut omnia litterarum apud veteres excultarum

genera, omniaque etiam orationis latinæ σχήματα ediscant juvenes et in promptu habeant. Neque ea tantum quæ scripserint antiqui, sed quæ in communi vita loquebantur restituit et nobis tradit. Eo consilio incœpta, eâ mente collecta et concinnata sunt *Adagia*.

Nihil esse potuit æqualibus ejus jucundius; namque inter causas quæ Erasmi Adagiis tantam apud nostros patres gratiam conciliaverunt illam non omittamus, quam ipse optime viderat, quum fabellis et narratiunculis orationem suam adspereget, scilicet incredibile illud studium quo ætas illa tum apologos, tum dicteria aut proverbia sectabatur. Quem fallit nihil mediæ ævi hominibus fuisse magis acceptum quam quod vel proverbii vel sententiæ speciem haberet? Multæ in manibus hominum erant συλλογαί, inter quas Dionysii Catonis collectanea, opus celeberrimum quod, sæpius translatum et annotationibus auctum, videtur olim fuisse veluti ars quædam moralis aut Ἐγχειρίδιόν τι non minus christianis quam gentilibus accommodatum. Omnes juvabat quibus litteris tempus et operam impendere vacaret, antiquitatis recens repertæ monumenta percensere et scrutari. Nunc quotidiani sermonis proverbia, nunc viro-rum illustrium dicta, nunc clarissimas scriptorum sententias excipiebant et interpretabantur. — Quum igitur Erasmus immensam materiem avidis æqualium suorum ingeniis præberet et facetissimis salibus farraginem istam adspereget, illius spem et fiduciam res ipsa superavit.

Ad hunc summi laboris librum omni parte absolvendum quis valuisset? Erasmus vero maxime propria indoles et

ingenii natura tale opus ordinate disponere et rectam ad normam redigere vetabant; quem laboris quidem et doctrinæ avidum, sed nullius moræ patientem fuisse, quum ipsius libri tum æqualium testimonia declarant: tantam porro adagiorum materiam colligere et è variis auctoribus excerpere haud facile erat; quanto magis arduum et óperosum omnia ordinare! Neque vero illud tantum obstatat quominus Erasmus exactum et consummatum posteris opus transmitteret, in quo nullum vitium reprehendi posset, vel quod velut supremum ipsius ingenii monumentum existeret. Quippe si errantem ejus vitam, si sæculum bellis ac discordiis plenum spectaveris, haud facile contenderis librum ullum citra reprehensionem potuisse ab eo homine scribi qui tumultuaria quãdam opera, omni loco et tempore, nunc Basileæ, in Frobenianâ officinâ, nunc Venetiis in Aldinâ meditaretur. Cæterum natura, homo lepidus dicteriis facetiisque doctas disputationes illustrare solet, qui controversias ingressus non potest quin semper pugnaci quadam oratione utatur et in adversarios suos sales et aculeos jaculetur. Quam sibi indulget! Quæ ludibria, nec semper urbana, plenis manibus in monachos profundit! Nonnunquam etiam pueriliter jocatur et litterarum mutationes aut similitudines captat, ita ut *Lindum* apud Rhodios et *Londinium* in Angliâ conferre et permiscere non fastidiat. Nunc in lectorem (tanta inest ei orationis festivitas) illudit; nunc contra vitam suam interiorem recludit, modo de suis quos lusit olim versibus memorans, modo mœstum detegens animum, quum « nullam esse feram tam ingratham dicit quæ sit cum hominibus conferenda. »

Illà ipsà rerum diversitate non injucunda esse adagia fatemur ; acceptius etiam id temporis fuit opus, eo quod acerbioribus libellis augebatur, vel in reges et in monachos, vel in ecclesiam priscæ paupertatis oblitam conflatis ; unde Erasmus illius ætatis homines velut Theophrasti ac Juvenalis æmulum summo favore prosecuti sunt. Si quis autem hodie in *Adagiorum* libro adagia solum exquirat, mirabitur auctorem longos ubique tentare excursus in quibus plerumque deerret et unde haud semper facile se recipiat. Quoties enim locus datur, a proposito declinat. Adagia vero ipsa non dubitat aut interpretari et novos ad sensus detorquere, aut ea in proverbiorum numerum inducere quæ non appellamus proverbia. Denique Erasmus plus studii in colligendis adagiis et salis in interpretandis adhibuit quam in seligendis iudicii.

Quod si ad genus orationis accedas, quâ Erasmus in condendis adagiis usus est, idem in eâ vitium, quod in universâ operis compage, reperies. Nusquam in diversis partibus consensus ullus apparebit, nusquam harmonia illa quâ, veluti miro concentu, omnia consonant ; at singulari quodam tumultu omnia miscentur et confunduntur, ut credas nunc atticum rhetorem, Isocratis discipulum, nunc quemvis è plebe optimates increpantem, huic operi manum admovisse. Nusquam enim sibi temperat Erasmus quin modum excedat. Totum opus oratione illustravit facetissima, sed paulo liberiore, locupletissima, sed in quâ eloquentiæ proximum sit vitium illud nimis ubertatis, singulari demum, sed exquisitiore. Nemo in familiari sermone, nemo in epistolis tam venustus aut qui magis

aticam elegantiam redoleat. Expedito ingenio jocatur et facilem linguam tractat : quippe quæ et latinum dicendi genus et græcam vocabulorum compositionem admittat, nec non sacra profanis intexat. Ea demum sententiarum et orationis libertas, cujus suavitate capimur et detinemur, eò adducit Erasmum ut nunquam servet operis colorem et nunc vocem tollat, nunc remittat, nec semper sibi constare videatur. Nemo magis fuit unquam sibi dissimilis. Nunc ludimagistrum esse credas, pueros elementa docentem, tritaque et nulli non cognita memorantem (1). Nunc contra in nimiam licentiam solvitur et multa scribit vel potius effundit, quæ docentis personam ipsiusve rei dignitatem minime decent. Interdum risum captat et mimum potius satirarumque scriptorem quam gravem magistrum agit.

Inde, ut in tali re assolet, dulce utili nocuit. Alii Erasmum arguerunt doctrinam jocis et facetiis posthabuisse ; alii, quos dicteriis incesserat, adagiorum laudem immiuerunt et acerbissimis conviciis opus auctoremque insectati sunt. Sed in primis infenso animo ac prope inexpiabili in Erasmum invectus est Antonius Muretus, eruditus quidem vir et antiquitatis studiosissimus atque sermonis latini adeo incorruptus custos ut illi Ciceroniano cognomen inditum fuerit, sed superbi animi et invidiosi. Qui, in eo *Variarum Lectionum* libro, ubi se jactavit multa loquendi genera vulgo haud satis cognita referre et eximii cujusque scriptoris industriam æquâ trutinâ ponderare, ausus est ibidem profiteri illud Erasmi nostri opus adeo omnibus

(1) « Est Ilias, inquit, nobile opus Homeri quo Trojæ captæ historiam libris viginti quatuor explicat. »

probatum, sibi neque probabile esse, neque etiam tolerabile. Illud tamen iudicium non apertè pronuntiavit; mireris contra quam dissimulanter Erasmus criminetur. Nunc ad eum tantummodo fastidiosis verbis alludit, nunc manifestius ei maledicit, quum non tantum in opus, sed etiam in homines, neque argumentis modo sed et minis invehatur (1).

Quod quidem Mureti exemplum permulti alii secuti sunt et in vivum Erasmus plurima crimina ingesserunt, dicentes eum, tum de industrià corrumpere loca quæ profer-

(1) Erasmus, sublato nomine, his verbis coloribusque expressit Muretus : « Reperiuntur nonnulli homines, qui dum faceti ac dicaces videri volunt, nullam salse aliquid dicendi occasionem prætermittunt, maluntque sæpe amicum quam dictum perdere, faciliusque flammam ardentem in ore quam dictum aliquod aculeatum continerent. » Eam sententiam Muretus Horatii auctoritate commendari docto vultu nos monet, atque Erasmo subinde illud objicit : « Neque in privatos modo atque suæ sortis homines sed et in principes immoderatâ illâ maledicendi libidine abutantur, non cogitantes quam stultum sit scribere in eos qui possunt proscribere. » Quum vero addat, veluti vaticinans, « scriptores illos spargere voces per jugulum redituras, » in delationis crimen veniat, nisi meminerimus jam vita defunctum eo tempore Desiderium; unde in eo lacerando et minus erat invidiæ et plus erat securitatis. « Ac ne mortui quidem aliam mercedem ferunt quam ut de eis dicatur quod de Tantalò Euripides :

Ἀκλόαστον ἴσχε γλώσσαν αἰσχίστην νόσων.

Hactenus nominibus pepercit; sed libro sequenti et Erasmus nominatim petit, et Adagiorum, ut vocat, congeriem irridet, rudem scilicet indigestamque molem, hominis opus qui neque legendo neque scribendo defatigari posset. Postremo Muretus, licet sibi non esse tantum otii dicat ut plures horas eâ in re perdere libeat, tamen quidquid imperitè, quidquid ineleganter dictum videtur omnesque aut mendas, aut dubias interpretationes sedulo indagat et reprehendit.

ret, tum præterire silentio vel antiquos scriptores vel recentiores παροιμιολογῶν a quibus aliquid furaretur, ut qui eorum laudem sibi arrogare cuperet. Hos quidem non pudit acerbissima in Desiderium probra coacervare, nihil non in ejus libro invidiose carpere et eò infensius eum lacessere quo præclarius ingenium in condendo opere ostendisset. Erasmus ipse, sub adagio quod *herculeus labor* inscriptum est, non potuit quin obiter inimicos illos notaret et pauca de incepto illo adderet «quod nihil affert fructus præter aliquantulum famæ, plurimum invidiæ. » Audiamus quantâ miseram sortem suam luceat vehementiâ. « Indocti negligunt, semidocti rident, docti, si paucos exceperis, præcipuos quidem illos, sed tamen paucos, partim invident, partim morosius carpunt. »

Equidem animo meo procul absit jampridem profligatum et sopitum bellum rursus movere, reumque et accusatores ad discendam causam evocare quasi judicium ferre controversiamque istam dirimere meum sit. De his viris jamdiu pronuntiavit æqua posteritas, quippe quæ Erasmi adagia per trecentos annos celebraverit et in manibus habuerit assidue. Satis sit ostendere quam vanæ plerumque fuerint et commentitiæ eæ criminationes.

Injuriâ enim Schottus Erasmus Plutarchi sub nomine Vaticanam appendicem temere inscripsisse contendit (1). Injuriâ alii eum pro Zenobio paræmiographo Zenodotum

(1) Cf. in Adagiis : « Refertur adagium illud in collectaneis quæ Plutarchi feruntur titulo. » Aliàs : « Plutarchus in Adagiorum collectaneis, si modo non fallit titulus, tradit hoc proverbium. » Miror Erasmus contra tanto græcæ elegantiæ ac venustatis quasi sapore

imprudenter retulisse mentiuntur (1). Injuriam cæteri eum Polydoro Virgilio multa inverecunde subripuisse fingunt, quum ipse crimen illud tribus verbis refellat (2).

Erasmus ipse dolet se nunc nimio studio extolli, nunc immodicis lacessi inimicitias. « Sunt enim qui mihi plus nimio tribuant, qui me Varronem nostri temporis faciunt... Et sunt rursus qui mihi nihil non adimunt. Illis nihil nescio, his nihil omnino scio. » Atque aliàs : « Equidem haud pono meum nomen in eruditorum albo. » Ideo se negat cum incomparabili Budæo comparari posse; qui igitur Erasmi Budæique nomina conferunt, illos pictorum ritu agere, qui « umbras tabulis addere dicuntur, si qua velint insignius eminere. Et matronæ quædam callidæ, quo magis commendent oculis intuentium formam suam per se egregiam pedissequas parum formosas secum ducere curant. »

præditum fuisse, ut errorem appendicis « sine argumento nulloque auctore, » sed tantum collectanea legens, primus præsenferit ac velut denunciaverit. « De hoc adagio, inquit, recte dictum sit necne, Plutarchus commentarium scripsit, si modo non fallit inscriptio. Nam quum verteremus, phrasis ipsa nonnihil reclamare titulo videbatur. »

(1) « Neque me fugit id operis Zenobii nomine circumferri. Verum quoniam invenio quædam apud Aristophanis interpretem Zenodoti ejus, qui Didymum ac Tarrhœum in compendium redegerit nomine relata, quæ ad verbum in hujus commentariis leguntur, velim mihi citra fraudem esse, quod is quocumque fuerit nomine (quid enim refert?) in hoc opere Zenodoti titulo inducetur. »

(2) Quid causæ est cur ipsi non credamus Desiderio, affirmanti se « non Polydori vestigiis ingressum; librum suum annos aliquot edidisse priusquam Polydori nomen noverit? » Quod quidem nescio an Polydoro fuerit gratissimum.

Quâ mente Erasmus adagia colligere aggressus sit, non satis intellexisse mihi videntur neque illi qui librum laudibus extulerunt, velut compendium aliquod totius antiquitatis et perfectissimum eruditionis monumentum, neque ii rursus qui mendas tantum aucupantes, nihil non de Erasmi opere detrahere aggressi sunt. Namque, ut fieri solet, quotiescumque iudicia nostra ex amore vel odio nascuntur, sententia utraque modum excedit. Quanta huic operi inhæreret difficultas, maligni quidam homines obliti sunt. Æquo autem animo æstimantibus aliquam et ingenii et vitæ Erasmi rationem habendam esse censeo. Omnibus enim quicumque hujus operis vel benigni, vel iniqui iudices exstitere, unus idemque fuit error. Quorum nullus non eruditionem in hoc opere aut miratus est, aut desideravit. Mihi vero adagia impensius legenti æquum esse visum est non tam ea ad eruditorum calculos redigere, quam quærere utrum ex libro, quanquam vitiis abundante, aliquid utilitatis atque doctrinæ in publicum venerit.

Meminerimus aliud esse docti viri studentis munus, aliud docentis. Si quis enim quam maximam rerum scientiam consequi in animo habuerit, multa comprehendere invenire multa, multaque inventis incrementa afferre conabitur. Sin autem adolescentibus doctrinas et disciplinas, et gratissima denique humanitatis studia tradere aggressus fuerit, accedat scientiæ necesse est ars quædam nova, quâ possint, quæ multo sudore parata sunt, facilius et acceptius enuntiari. Videat igitur ne nimiâ quâdam siccitate et jejunitate discipulos a discendo deterreat. Habeat contra velim solutum quiddam, neque dubitet scientiæ nonnihil

torum sententias, aut pauca verba proverbiorum numero adscribit, nunc Cæciliū Plinii, nunc Ciceronis tria dicta, vel quamdam apud Plautum verborum translationem memorans et sibi pro veris adagiis vindicans.

Ex his diversis et minime inter se convenientibus partibus quum Erasmi liber constet, illam ubique desidero rationem quæ in omni libro adhibenda est. Quâ adhibitâ multa pericula arcere potuisset. Quod si autem ratio illa quæ debeat esse perquiras, profitebor totam esse *παροιμιογραφίας*, summam in unâ adagiorum et proverbiorum definitione.

II

De Adagiorum definitione.

Adagiorum definitionem protulit Erasmus, atque illam neque elegantiam, neque omni prorsus veritate destitutam : « *Parœmia est celebre dictum scita quâpiam novitate insigne.* » Miror equidem Erasmum, qui illis terminis spatium sibi circumscripserit eos sæpissime transilire ; neque dubium est quin ipsa definitio vitii aliquid habeat, in quâ non remanere potuerit auctor. Illam enim, si paulo diligentius attenderimus, licet de more scholarum per genus proximum ac differentiam propriam concinnata sit, reperiemus tamen e rebus factam quæ inter se pugnant. Illinc scilicet latius patet : quid aliud est, obsecro, *celebre dictum*, quam quicquid omnes crebro usurpant, sine ullo rerum delectu, quam omnis generis verba,

dummodo vulgo sint jactata ideoque communi usu trita. Hinc contra definitio arctioribus inclusa finibus videtur, quum *scita novitate* insignem esse parcemiam declaret « ut aliquâ ceu notâ discernatur a sermone communi. » Quorsum attineat illa correctio, ex his Erasmi verbis liquet. « Neque enim protinus quod populari sermone tritum sit aut figurâ novatum in hunc catalogum adjecimus : sed quod antiquitate pariter et eruditione commendetur ; id enim scitum appellamus. »

Non igitur ambigi sinit Erasmus de fine quem sibi proposuit et omnibus conatus est viribus assequi. Elegantia tantum et inter litteratos versata, adagia colliget ; quæ autem populus usurpat, ea repudiabit, et, si qua admiserit « è fæce vulgi sumpta, » admonebit rusticana adagia esse aut inter fabellas aniles et culinarias rejicienda. Proinde satis constat Erasmum, dum colligere quidquid *celebre* inter litteratos sit dictum aggreditur, velle immensum opus angustioribus terminis includere.

Adagii enim nomen multa ac propemodum infinita complectitur. *Adagium* scilicet vocatur (quod ipsum vel nomen indicat) quidquid ab hominibus in loquendo sæpissime usurpatur et circumagitur. Unde Varro docet quasi *circumagium* dici, id est populari sermone tritum ; neque Festo assentior, qui adagium veluti *ad agendum* aptam sententiam est interpretatus. Ecquis autem est qui omnia quæ circumaguntur in unum corpus redigenda suscipiat ? Quod neque ab Erasmo olim, neque, ut opinor, possit hodie a nobis absolvi. Et si possit, cavendum etiam ne hæc uberrima copia plus fastidii afferat quam utilitatis.

Æquum est, si tale opus aggrediaris, considerare utrum adagia quemlibet ordinem patiantur. Neque enim scientia cujusquam rei esse potest, cui non accedat ordo; ordine autem vel solo multum proficitur.

Sub *Adagiorum* nomine omnia ea comprehendi debere arbitror dicta, quæ inter homines celebrata versantur. Tria vero sunt genera adagiorum. Unum ac prope infinitum genus *locutionibus* constat. Quæ non necesse est formam habeant propositionis, sed necesse est inter plebem vulgo usurpentur. Interdum etiam « a fæce » (ut fastidiosè dicit Erasmus) potius sumentur quam licebit eas a litteratis viris vel celebrari, vel creari. Cæterum tropis et figuris, veluti notâ quâdam insigni, ornari solent atque inde usu tritissima fiunt.

Ad secundum adagiorum genus referimus *sententias*, quarum vim propriam M. Tullius his verbis definivit: « Sententia, inquit, oratio est sumpta de vitâ, quæ aut quid sit, aut quid esse oporteat in vitâ, breviter ostendit (1). » Quibus ex verbis intelligas sententiam ad rem generalem attingere, non ideo generaliter usurpari. Perfecta debet esse propositio et omnibus conclusa partibus; populari autem famâ et vulgari celebritate carere potest. Itaque sententiarum aliæ in adagiis adscribentur, propterea quod in quotidianum usum venerunt, aliæ citra adagia remanebunt.

Tertium genus, cujus præcipua cura fuit *παροιμιολογία*, *proverbiorum* est. Proverbium autem et sententiæ et locutionis naturam complectitur; nihil enim aliud est nisi

(1) Rhet. ad Her. iv, 17. Quintilianus, 1, 9.

propositio generaliter sumpta, quam non solum in libris scriptam, sed in ore omnium versatam reperias.

Postquam vero quibus signis discernantur aut proverbium aut proverbialis locutio aut denique sententia notavimus, haud alienum abs re videtur ostendere quomodo aut usurpari tria illa adagiorum genera, aut ornari soleant. Sed primum quo illustre magis magisque in aperto sit quatenus eadem inter se differant, pauca liceat proferre exempla.

Fingamus igitur hoc nobis esse παροιμιακῶς enuntiandum, si quis in quâlibet operâ navandâ frustra conatur et inanem sumat operam. Quam notionem mille modis expressam reperiemus. In tantâ vero multitudine quid ad locutiones, quid ad sententias, quid denique ad proverbia referri debeat, dijudicare et discernere, nostri erit operis ac studii.

Ac primum *locutiones* diversas recenseamus. Dicere solebant veteres :

— ἄμμον, κύματα μετριῖς, arenam metiris, undas numeras.

— Εἰς ψάμμον, εἰς ὕδωρ σπείρεις. In arenam, in undas seris.

Cadunt hæc adagia in eos qui incassum annitentes majorem viribus suis laborem susceperunt. Necnon et :

— Αἰγιαλὸν ἀρούνη, arare littus.

Conferas quoque dictum Evangelii :

« Quod in petras inciderit »

scilicet beneficium collatum in ingratos homines operamque perditam, multosque præterea poetarum versus locu-

tionibus quam sententiis propiores, quum musa breves locutiones jamjudum vulgatas numeris incluserit; sic apud Ausonium legimus

Cultor arenarum vates, cui littus arandum.

et apud Nasonem :

Quid facis, Ænone, quid arenæ semina mandas?
Non profecturis littora bobus aras?

Hæc apud Theocritum occurrunt :

— Ἴσον καὶ σπείρειν πόντον ἄλδς πολιτῆς.
Talis qui semen sparserit inter aquas.

Ejusdem in Charitibus :

— Ἄλλ' ἴσος γὰρ ὁ μόχθος ἐπ' ἄνοι κύματα μετραῖν.

Apud Maronem in Georgicorum libro secundo, eleganter dictum :

Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem
Discere quam multæ Zephyro turbentur arenæ,
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse quot Ionii veniant ad littora fluctus.

Multasque alias in quibus de undis et arena agitur locutiones reperias.

Εἰς ὕδωρ, ἐν ὕδατι, καθ' ὕδατος, εἰς οἶνον γράφειν.

Adde : Εἰς ψάμμεν οικοδομαῖν — Σιδῆρω πλεῖν διδάσκεις — Ὑδωρ κοσάνω ἀντλεῖν, ἢ ἐπιφέρειν,

id est *cribro aquam haurire*, vel, ut apud Plautum : *Imbrem in cribrum geris*. Sic plurimas locutiones, iisdem fere verbis et coloribus conflatas, ejusdem rei notionem expri-

mentes, Græci Latinique vulgarem ad usum creaverunt. Inter figuras multæ occurrunt ex animantibus sumptæ, ut quæ ad lupum spectant : λυκοῦ πτερὰ ζητεῖς, aut ad asinum, cujusmodi sunt : ὄνου πόκας ζητεῖς, *asini lanas quæris*, id est ea quæ nusquam sunt; vel τὸν ὄνον κείρεις, *asinum tondes*.

Multæ verbis constant haudquaquam inter se consentaneis et inde inusitatam, sed non inelegantem formam accipiunt, ut quum

- In aere piscari,
- In mare venari jaculo,
- Ἐξ ἄμμου σχοινίον πλέκειν,
- Aquam e pumice postulare,
- Αἰθίοπα λευκαίνεις,

in quotidianis versantur sermonibus.

Ad *maris fruges* referri nonnullas posse locutiones quidam notaverunt. Sic latine :

- Mare prius vitem tulerit,

vel græcè :

- Τὸ πῆλαγος πρότερον οἶσαι ἄμπειλον.

Celebre videlicet dictum. A quo Homerus et Hesiodus pontum sæpe vocant ἀτρύγετον; haud secus ἀλμυρὸν γειτόνημα. Dicebantur autem hæc et talia de iis quæ nullo pacto fieri possunt.

Paucas reperimus quæ ad ventum spectant :

- Δικτύῳ ἀνεμον θηρᾶς, rete ventos captas,
- Αἰθέρα νήνεμον ἐρέσσεις, aere tranquillo remigas,
- Ἄνιμους γεωργεῖς, ventos aras.

Aliæ vero in lapidibus versantur :

- Πλίνθον πλύνεις, laterem lavas,
- Λίθον εψείς, lapidem decoquis, lapidem elixas.

Plurimas autem omitto quæ idem fere significantes modis enuntiatæ sunt diversissimis. Ea exempla satis demonstrare possunt quot et quam variis locutionibus *frustra conari quippiam* exprimi possit.

Quod si non jam conatus, sed tantum inanem alicujus operam irridere opus esset, locutiones afferebantur quarum multæ ad unguentum aut oleum pertinebant, velut : Εἰς κέπρον θυμιάς, *in fimum aromatum odorem spargis*; vel apud Plautum et Tullium : *Et operam et oleum perdidisti*. Plurimæ vero circum illam locutionem glomerari possunt : αἰγιαλῷ λαλεῖς. Inter quas annumerandum est : πρὸς τὸν τοῖχον λαλεῖς, *fabulari vento* (apud Plautum), οὐρανῷ λαλεῖν (ex Athenæo), λίθῳ, ἀνέμῳ διαλέγῃ, *cui conferre licet illud Virgilio* :

Multa patri portanda dabat mandata, sed auræ
Omnia discerpunt.

Nec non et : Νεκρῷ λέγουσα, μύθους εἰς οὐρανόν, id est, apud Plautum : « Mortuo verba nunc facio, » aut apud Terentium : « Mortuo fiunt verba. » Adde insuper :

Κωφῷ ἄδει, — πρὸς κέντρον ψάλλεις, — εἰς κέντρον κρούεις τὰς χορδὰς.

Diversi generis sunt alia, sed quæ inutilem laborem pariter significant :

— Sylvæ ligna, mari aquam, soli lucernam addere,

vel : δειλφῖνα νήχεσθαι διδάσκεις, aut : ἀετὸν ἵπτασθαι διδάσκεις.

Quibus ex omnibus videre est quam immensa locutionum varietate unus idemque sensus exprimi queat. Atqui inter eas nullam fortasse reperias quæ figuris omnino vacet; nullam profecto quæ sensa verbis suis exprimat.

Rursus ejusdem significationis multæ inveniuntur *sententiæ* quæ ex usu populari non proferuntur. Quarum exempla vel ab oratoribus vel a poetis sumere promptissimum esset. Satis vero sit pauca referre unde quale sit illud adagii genus intelligas.

— *Actum ne agas.*

— Ἄβουλος ἀνὴρ εἰς κενὸν μοχθεῖ τρέχων.

— Ἄνδρῶν φαύλων ἔρπον εἰς ὕδωρ γράφε.

Simile aliquid apud Catullum :

. . . . Mulier cupido quod dixit amanti
In vento et rapida scribere oportet aqua.

Neque raro *sententiis* mixtæ locutiones speciem illis et vim addunt proverbii. Ita Divus Hieronymus scripsit :

— Oleum perdidit et impensas qui bovem mittit ad ceroma.

Verum ea demùm sententia vim habet proverbii, quam vulgus veluti signatum numisma recipit, non unī aut alteri viro, sed populo omni utile futurum. Cujusmodi illud, inter Hebræos olim populare (quod ipsis Erasmi verbis refero):

— Qui in altum mittit lapidem super caput ejus recidet.

Quum autem eo pacto vel locutio generaliter sumpta, vel sententia proverbii loco usurpata, in forum ut ita dicam, descendit, inde solet, in vitæ ac sermonis humani commercium venire. Sunt alia de inani opere proverbialia :

- Ὅνου κεφαλὴν μὴ πλύνειν δεῖ νίτρον.
- Τὴν χύτραν ποικίλλειν οὐ δεῖ.
- Δύο πτώκας διώκων οὐδέτερον καταλαμβάνει.

Celebre et illud :

- Ne supra pedem calceus.
- Μὴ ὑπὲρ πόδα τὸ ὑπόδημα.

(Quod usurpavere scriptores nunc addito uno vocabulo, *ἴστω*, nunc rejectis duobus, τὸ ὑπόδημα.)

Quid pluribus exemplis opus est? Quum appareat unde ortum et quale sit proverbium jam quibus ornamentis nitescere possit facile noveris.

Tribus porro ornamentis commendari solent proverbia ; scilicet *consilio* probabiliora ac vendibiliora fiunt, *figuris* significantiora, *numeris* memoriæ aptiora :

Inter maximas ejus virtutes eam esse opinor quod proverbio in admonendis hominibus ut leniori hortationis modo utimur. Quum enim in tractandis animis nunquam non adhibenda sit ratio humanæ patientiæ, nihil tolerabilius esse atque acceptius videtur quam proverbio involuta veritas et quasi universo populi sensu comprobata.

Deinde quæ suapte naturâ frigida viderentur, ea ornatius enuntiari solent figuris. Quarum quidem quanta copia sit, quam multa et lauta quodammodo supellex, non quærendum arbitror neque explicandum : nisi quis recensere velit quidquid de figuris Tullius, quidquid Fabius Quintilianus scripserit. Una tamen est è multis quæ creberrima invenitur, ἀλληγορίαν Græci vocaverunt, *inversionem* F. Quintilianus : aliud enim verbis, aliud sensu ostendere genus est

orationis omnibus acceptissimum. Unde inter sales et jocos proverbialia habentur.

Nec satis. Præterquam enim quod proverbium callido sensûs et figurarum usu animum allicit, aures quoque sollicitat, adhibitis numeris quibus sententia adstringitur quæ, ut omnium memoriâ teneatur, ejusmodi formam desiderat quam brevem simul et sonantem facile recipiant homines etiam omni arte et cultu destituti. Verba igitur quibus exprimitur proverbium, quamvis pauca, sic tamen struuntur sæpius, ut membris duobus dividantur, quorum in utroque similiter clausula desinat.

- Ubi mel, ibi fel.
- Ubi uber, ibi tuber.

Quid valeat ad delectandas aures juvandamque memoriam illa consonantia perspicuum est. Neque sapientes indignum illud duxerunt quod ipsi adhiberent.

- Ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

Προσονομασίαν elegantem agnoscit Erasmus in hoc :

- Μορήσεταιί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται

et ὁμοιστέλευτον in hoc :

- Μήτις δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

III

De Adagiorum utilitate.

Quid in colligendis adagiis sibi proposuerit Erasmus intelligitur ; ex illa enim summa diversitate, ex illa quum lati-

narum, tum græcarum locutionum collatione, velut è fonte perenni oriebantur permulta, notatione prorsus digna, quæ nonnihil novum aut utile conferre ad litteras valebant. Plurimum enim eruditorum virorum intererat, quas-cumque in quotidiano sermone Græci Romanique usurpavissent locutiones in eo libro collectas reperire. Quid vero periculi esset in illà rerum copiâ et, ut ita dicam, opulentiâ, indicavimus, scilicet ne locutiones et sententia et proverbia confunderentur : quod plerisque in locis evenisse compertum habemus.

Duas præterea causas annumerare liceat, quæ recentiores paræmiographos ad colligenda adagia impulere. Illi scilicet non solum pleraquæ proverbia ad institutionem vitæ spectare et totidem esse præcepta quibus qui sit instructus philosophiam quamdam possideat, sed etiam gentis cujusque mores studiaque et instituta in proverbiiis deprehendi posse putaverunt. Eam ideo prudentiam gentium esse aiebat nescio quis.

Quæramus igitur, nunc ad mores, nunc ad litteras, nunc denique ad historiam respicientes, quantum prosit mentem adagiis intendere et quid utilitatis ad vitæ communis usum ex iis redire possit.

Quod ad litterarum studia vel ad philologiam spectat, multum ex adagiis profici posse arbitramur. Quod quidem nihil aliud est quam naturam et, si licet ita loqui, ingenium cujuslibet linguæ perscrutari ejusque habitum, opes, facultates et divitias recensere. Ea enim proverbialium

locutionum varietas et multitudo est, ut facile studentī in animum veniat quam plurimas orationis formas atque habitus colligere, et comparare, et pro sensu modo segregare, modo conjungere. Necesse vero est ut παροιμιόγραφος oculis objicere curet quam diversis ac prope innumeris modis oratio tractari possit, quot et quam variæ figuræ locutionesque sententiam eandem exprimere valeant, et quantas, nec satis cognitās, sermonis divitias lingua veterum recondat.

Inde autem sensim ac per gradus eò adducetur ut vulgarem quotidiani sermonis consuetudinem intelligat, quæ sæpius inadagiisquam in libris invenitur. Hujus sermonis peculiarem juvabit novisse σύνταξιν : multa enim brevitatē causa præcidit, multa subaudit, et sæpe inchoatam sententiam abrumpit, veluti si obvio cuique sententiam supplere promptum sit in quotidianis sermonibus assidue versatam.

Apud omnes populos sunt certa quædam et usitata verba quæ vel in auribus vel in animo facile imprimuntur et quibus vulgus singulis horis uti et abuti consuevit, ut quum illi, qui aliquem objurgat, respondent :

- Ne sis patruus mihi...
- Δειπνεῖν μοι διδάσκα.
- Γάστρα μοι προφέρετε.
- Ἀπονέμου τῆς σῆς ἀμάξης, τῶν δ' ὄνων οὐδὲν μέλει.

Plurima vero occurrunt in quibus eminet *Ellipsis*, pluraque subtrahuntur verba quam enuntiantur, velut *palpo percutere*, adde *cervicem*, tractum ab equisonibus qui plausu manûs equis blandiuntur, sed breviorē etiam fe-

cere locutionem et *percutere* eundem sensum retinet, quasi verba magis atque magis recideret ellipsis. Ex eadem metaphorâ *palpari*, *palpum obtrudere*, id est blandiri vel pellicere, *palpones*, id est versuti homines, nonnullos apud scriptores, sed præcipue apud Plautum offendas.

Haud secus, cum alicui mortem imprecari velis, locutionem tibi suppeditabit ellipsis:

— Εἴποις τὰ τρία παρὰ τῆ ἀλλῆ,

Vel quod brevius :

— Εἴποις τὰ τρία (1).

Quibus verbis instare supplicium capite damnatis nuntiabatur.

Per ellipsin similiter dictum est :

— Οὐκ εἶμι τούτων ἠρώων,

id est, eorum geniorum qui noxam potius quam commodum afferunt.

Alio autem ellipseos genere, si modo ellipsis dici potest, nullum quidem reciditur verbum, sed breviori figurâ, quæ ad verum sensum alludit, sententia exprimitur. Documento sit illud :

— Manum ferulæ subduximus,

id est, pueri admodum, sub magistro qui manum ferulâ cædebat, litteris studuimus.

Cujusmodi est :

— Τοῦ σαλίνου δαῖτα, apio opus est,

quum aliquis capitali morbo laborat, quod olim mos erat apiomortuorum tumulos coronare.

(1) Gallicè : fais ta prière.

Ea est sæpe adagii brevitatis ut nequaquam intelligi possit. Quum dicis *ἔλα καὶ κύαμον, salem et fabam*, addendum : *προτιθέναί*, atque subinde intelligas, qui salem et fabam obtulerit, illum esse vatem. Nonnunquam autem verum *αἰνιγμα*, quasi divinantibus, proponitur :

— Ἄκρον λαβὴ καὶ μέσον ἔξεις

quod consulentibus Æginetis ab oraculo responsum tradunt.

Ad illud ellipseos genus libenter referam hoc responsum, quo vana narrantes olim irridebantur :

Εἴτ' ἐξηγρόμην, deinde expergiscebar,

quasi omnia quæ tibi narrata fuissent somnia tantum existimares.

Quibus exemplis patet inter varias locutionum formas præcipuum ellipsin locum obtinere. Sed et multa per ironiam memorantur; quam adhibet qui exoptatum afferens nuntium, dicit : *οὐ πολέμον ἀγγεῶν*.

Si stolido homini alludere in animo habueris, adagium citabis *μήδεποτε μηδεὶς Μεγαρέων γένοιτο σοφώτερος*. Et aliâ ironiâ utuntur quâ prorsus absurdum aliquid esse dictum significant. Dicere non piget : *Ἑρμῆς ἀμόθητος*, vel, ut quidam *ἀμόθητος*, id est, Mercurius *non initiatus* quum ille sit disciplinarum et eloquentiæ parens, vel indoctus, quum *μυσταγωγός*, id est mysteriis præfectus, vulgo habeatur.

Multa ejusmodi adagia in eos homines reperiuntur qui quamvis inepti sint neque munus quodlibet sustinere queant, tamen superbi incedunt.

— Ἐλεύθερα αἴγες ἀρότρων.

Sunt qui rumores aucupantur et nihil nescire se profitentur; in eos viros qui famæ vicem libenter supplerent, si facultas adesset, dici solet :

— Sciunt quid in aurem rex reginæ dixerit.

Necnon eos cessatores, diem in viis terentes carpit ironiæ conjuncta hyperbole.

— Ἀπίων ἐς Ἀπατούρια, ἐπανῆκε' ἐς Θαρρηλιῶνα.

Non tantum ellipsis aut ironia in variis locutionum formis adhibentur. Reperiuntur et litterarum mutationes variæque ejusmodi ineptiæ, inter quas hanc præcipuè notandam existimaverim :

— Ἄπ' ὄνου
ἀπὸ νοῦ } καταπεσών, id est mente lapsus.

Et illam :

— Μὴ ὄν Σύρος, μὴ σύρις.

Has quidem non fastidit Aristophanes, nec pudet eum dicere

— Ἐλαιον οὐκ ἐνεστιν ἐν τῷ ληκύθῳ.

Oleum nequaquam inest in Lecytho.

id est « nullus est precibus locus apud inexorabilem » quum Ἐλαιον, *oleum* et ἔλεος, *miseriordia* similem propemodum sonum reddant. Inter eas locutiones permultæ sunt quæ diversis verbis idem significantes, congregari debeant, neque ut in Erasmi adagiis passim dispergi. Qui disjectas illas locutiones in unum cogendas sibi susciperet, opus conderet quem συνωνύμων indicem haud immerito appellandum censerem. Itidem si pro *multum*, vel *parum*, pro

jamdiu vel *recens*, pro *potior* aut multis aliis verbis figuras supplere tibi in animo sit, multa in libro Erasmi occurrent cognominata verba, quorum pauca referenda, non prorsus abs re arbitror. Sæpe enim pro *jamdiu* dicebatur : ἀπὸ Ναννάκου, quasi res ab omni antiquitate repetita significaretur. Haud secus *sexcenta verba* pro *multis*, τρία ἔπεα, pro paucis dicere solebant. Si quis cæteris præstantiorem hominem extolleret, in usum venerat dicere :

— Ἐκκαίδεκα ποδῶν ἔρει τοὺς ῥήτορας ἐν τοῖς λόγοις,

vel : πολλοῖς παρασάγγαις ὑπερδραμεῖν.

Κακῶν πανηγύρις *multa* mala continet. Locupleti homini si libuerit alludere, dices eum *ipso horreo* vel *e dolio haurire*, vel immensa possidere latifundia, *quantum vix milvus oberret*. Multis etiam modis *nihil non* exprimi potest; quorum equidem plurima proferre possem, nisi timerem fastidium afferre legentibus. Uno tantum exemplo hanc enumerationem concludam. Qui voluerit *nihil* aut *nullum* vel quamlibet sensûs deminutionem exprimere, ille multas in promptu habebit dicendi formas. Cujusmodi sunt :

— Ne bestię quidem ferre possunt.

— Ne syllaba quidem attingere.

— Τημέρου οὐδεμίαν γραμμὴν ἔγαγον.

His adde :

— Non novi natos.

— Ὅσον μέλει τῇ χελώνῃ μυϊῶν.

Occurrunt pariter complures figuræ quæ *nihil* aut res nullius pretii significent, ut :

— Καπνοῦ σκιά, fumi umbra.

Quam locutionem versibus Sophocles includere curavit.

— Τὰ δ' ἄλλα καπνοῦ σκιᾶς οὐκ ἂν πριαίμην.

Huic simile,

— Γυπὸς σκιά, vulturis umbra.

Plura occurrunt quæ *ne punctum quidem* significant, ut apud divum Hieronymum legimus : « Apostolicæ voluntatis sequentes vestigia, ne punctum quidem, *ut dicitur*, aut unguem transversum ab illius sententiis recedamus. »

Hanc vero locutionem variis figuris Græci Romanique ornaverunt.

— Οὐδὲ τὸν Αἴσωπον πεπότηκας.

— Οὐδὲ τὰ τρία Στησιγόρου γινώσκεις.

Nonnulla etiam poeticâ quadam formâ induuntur, velut : οὐδ' ἔσον ἀήδονες ὑπνώουσιν.

Inter has locutiones referre possis *nauci, flocci* facere, aut *κόγχης ἀξιος*, aut *homo trioboli*. His similia *non terunci facere*, et innumera ejusmodo exempla quæ apud scriptores quum Græcos tum Romanos occurrunt.

Nunc libet exquirere quam utilitatem vel ad mores, vel ad historiam ex proverbii percipere possimus. Equidem eos

errare arbitror qui sperant posse se in adagiis aut sapientiam gentium aut populorum historiam reperire. Qui quantum decipiantur facile animadvertas, si memineris in popularibus dictis non modo contineri vel quod optimum sit (ad mores enim labor ille pertineat) vel quod verum sit (quod quidem historiæ proprium est ac peculiare), sed imprimis et sæpissime quod videatur plerisque aut bonum esse aut verum. Quum vero homines alii vitium, alii virtutem sequantur, hi verum, illi falsum amplectantur, adagia quibus exprimi solent ea quæ sentimus aut proferimus nonne possunt ad doctrinas quam diversissimas spectare? Non igitur prudentiam generis humani, sed unius aut alterius experientiam et vitæ usum declarant.

Quod si moralia adagia colligere velimus quæ ad mores spectant, primum rejicienda sunt multa quæ vel ad fastos, vel ad cæli temperiem et rusticarum rerum usum, vel ad alimenta et remedia ægrotantium pertinent, injuriâ autem in philosophiam moralem collata sunt. Nihil enim est quod proverbia non attigerint. Quidquid hominibus scientiæ contigit serius aut ocius includitur in adagiis utpote quæ facile in populo versari possint et circumferri.

Ea insuper omitti liceat quæ, etsi commune nihil habeant cum proverbio et dicteria tantum sint aut joci, tamen usu temporum inter proverbia locum obtinuerunt. Exstant nonnulla ejusmodi adagia, acumine potius (si quid eis inest acuminis) quam judicio insignia. Quorum est illud in eos qui vitam degunt in urbibus :

— Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον ἀνὴρ ἀστικός.

Inter quæ et illam posuerim sententiam :

— Ignis, mare, mulier, tria mala.

Nulla est fere lingua, in quâ adagia feminis maledicentia non occurrant : sic apud Græcos γυναικὸς φρένα Diogenianus refert vulgo olim laudari, si cui stultam et vesanam mentem exprobrare in animo habeas.

Sunt tamen adagia, eaque pene innumerabilia, quæ aliquam morum et vitæ institutionem legentibus proponunt. Quam vero institutionem! Finge adolescentem quemlibet velle e veterum proverbii bene vivendi disciplinam excerpere. In illis quidem multa eum inventurum esse haud infitior quæ ipsum ad recte faciendum impellant, sed multa rursus quæ aut virtutem parum curare aut deteriora sequi doceant. Sunt enim inhonesta adagia, sunt ambigua, quæ juvenis mentem, ceream in vitium flecti, corrumpant, si modo his mentem applicare decreverit. In hoc, ut multi volunt, humanæ sapientiæ thesauro pone aliquem pravæ indolis et ad malas artes jam natura propensum ephebum. Proh! quanta occurret argumentorum copia ad excusanda ea quæcumque deliquerit! Quid eum vis aut sentire, aut agere, cui commendabitur illud a Lysandro olim dictum et apud Græcos vulgo decantatum, teste Plutarcho :

— Ἄν ἡ λεοντὴ μὴ εἴκηται, ἐφικνεῖται τὴν ἀλωπεκὴν προσάψων.

Jam ille inter homines velut inter hostes versabitur eique proverbio illud adjunget :

— Dolus an virtus, quis in hoste requirat?

nec obliviscetur, quod Epicharmus monet :

— Νᾶρε καὶ μεμνοσ' ἀπιστεῖν.

Fidem et jusjurandum negligere ille discet, auctore eodem
Lysandro, fœdorum et deorum suorum spretore.

— Ὅρκους ἀνδρας, ἀστραγάλοις δὲ παῖδας ἔξαπατίειν.

Indidem hauriet nullum debere in homines beneficium
conferri, admonente proverbio :

— Ὅς κύνα τρέφει ξένον, τοῦτον μόνος λίνος μένει.

Neque, si debili cuiquam viro aut seni occurrat, de eo bene
mereri cupiet, postquam meminerit :

— Μήποτ' εὐ ἔρδειν γέροντα.

Quod etiam refert Aristoteles, et Diogenianus amplissime
explicavit : μήποτ' εὐ ἔρδειν γέροντας, μηδὲ παῖδα, μηδὲ γυναῖκα,
μηδὲ κύνα τινός, μηδὲ λάλον κωπηλάτην.

His quidem similia non sunt omnia proverbia. Imo
multa nos ad virtutem incitant; multa Desiderius noster,
haud proverbia quidem, sed sapientiæ præcepta e philo-
sophorum scriptis excerpsit; neque unquam omittit, quo-
ties datur locus, veterum prudentiam divinâ Christi doc-
trinâ confirmare. At proba illa consilia sententiam magis
quam proverbium olent, ut ex sequentibus exemplis vi-
dere est :

— In magnis voluisse sat est.

— Μὴ μνησικακίσης.

— Tecum habita.

— Nequidquam sapit qui sibi non sapit.

— Sui cuique mores fingunt fortunam.

— Dimidio vitæ nihil differunt felices ab infelicibus.

— Non omnia veniunt quæ in animo statueris.

Neque illum Homeri versum, insigne profecto ad virtutem hortamentum, silentio prætermittit.

— Εἷς εἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πατρὸς,

vel stoicum illud scitum

— Ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

Ut vero sententiæ ejusmodi a philosophis et sapientiæ magistris concinnatæ sunt, ita proverbia quædam comparantur ad usum populi quæ suadent ut lucrum honesto anteponatur. Quocirca hoc ab Aristophane dictum

— Τί πρὸς τ' ἄλφιτα.

Hæc adagia vulgus delectant, quod paupertatem sibi metuit et in aliis despicit, atque adeo omne genus inopiæ, quidquid debile aut invalidum putat, aspernatur.

— Γραῦς, ὡς τις ἵππος τὸν χαραδραῖον τάφον ἔξεις.

Turpia pariter sunt illa

— Κέρδος αἰσχύνῃς ἄμεινον,

— Ὡς ἀγαθὸν εἶσ' ἐπιωνυμίας πολλὰς εἶχειν!

Fatebor equidem nefanda illa adagia diversis adagiis refelli posse. Sunt enim et quæ vitium notant et quæ stultitiam derident, aut suas culpæ pœnas denuntiant. Unde colligere est universam adagiorum rationem e disparibus constare sententiis et quasi varium nobis præbere philosophiæ moralis colorem et vultum. Neque difficile sit hanc perpetuam proverbiorum discrepantiam exemplis demonstrare.

Diversissima ac prope contraria de patria circumferri solent.

— Βούς ἀλλότριος τὰ πολλὰ ἐξῶ βλέπει.

Et alias

— Ἦν ἔλαχε Σπάρταν κοσμεῖ.

Optimum quidem et ab Erasmo celebratum, sed prorsus huic sententiæ dissimile :

— Πᾶσα γῆ πατρίς,

aut illi :

— Ubi bene, ibi patria.

Quod sibi Erasmus ita usurpavit, ut diu Basileæ aut Venetiis, in Batavia natus, remanserit.

Occurrunt etiam adagia quæ ipsa sibi parùm constare videntur. Nonnunquam enim accidit ut res et verba parum consonent, ut vulgari vocabulo eximia sententia dehonestetur, vel prave cogitata præclaris verbis illustretur. Nunc dicas magnificâ veste vitium tegi et velut involvi, nunc contra sub pallio sordido incedere sapientiam.

Nunc quoniam adagia ostendimus plurimum quidem litteris afferre utilitatis, minimum vero ad emendandos mores valere, videamus quid historiæ conferant.

Ac primum perspicuum est haud sane inutilia esse hæc adagia quæ indicent ac velut testentur quid in variis seu locis, sive temporibus populi senserint et dixerint, alii ab aliis discrepantes. Fortasse et interdum è proverbiiis insitam cuique indolem aut divinare aut perspicere licebit.

Quo tamen in studio summa moderatione atque prudentia opus est; neque inter monumenta quæ ad historiam attinent dictum quidquam temere recipies. Documento sit quod olim Scoto cuidam viro accidit, qui quum sibi suscepisset gentis suæ res, collectis e plebe adagiis, perscribere, spe ridiculè deceptus est, inceptumque omisit, postquam proverbia illa, quæ civibus suis propria esse arbitratus erat, cum omnibus populis communia esse agnovit. Magni enim laboris est discernere cui potissimum populo tribuenda sint illa proverbia quæ mox, in medio posita, gentium omnium velut indivisum patrimonium, aut, ut Flaccus ait, publica materies, facta sunt. Illa enim gentes aliæ aliis tradiderunt et inter se quasi mutuo commercio ita communicaverunt ut haud facile quodvis adagium ad primam originem referre possis.

Quis non credat locutionem illam *se moucher du pied*, vel *du coude*, inter Gallos natam et apud Gallos tantum usitatam? Hanc tamen in latino sermone habuisse fidem testatur Erasmus. « Ut si salsamentarii filio dicas : quiesce tu, cujus pater se cubito emungere solebat. » Vel inter Græcos versata et vulgata nobis occurrit eadem dicendi figura : ἀγκῶν ἀπομυσσόμενος.

Conferas illa, de silentio vel de garrulitate :

— Σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.

— Est et fideli tuta silentio

Merces.

(FLACCUS.)

« Jam olim in proverbio est nobilis illa Simonidis sen-

tentia quæ celebratur et apud Latinos proverbii loco :

- Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. » (ERASMUS.)
- Qui sapiat, tacito gaudeat iste sinu. (TIBULLUS.)
- Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis et rixæ multo minus invidiæque. (FLACCUS.)
- Se la gallina tacesse, nessuno saprebbe che avesse fatto l'uovo.
- Si la poule se taisait,
On laisserait son œuf en paix.
- Qui sages hom sera
Jà trop ne parlera :
Ce dist Salomons.
- Qui jà mot ne dira
Grant noise ne fera :
Marcol li répond.
- Qui de tout se tait,
De tout a paix. (*Ad Carolum Sextum Gersonis oratio.*)
- Le sage aussi si nous dit ung notable :
Que trop parler souvent en mal se noye.
Le fol toujours seme par voye ;
Trop parler cuit, grevant la conscience. (GRINGORE.)
- Il convient que trop parler nuise,
Ce dit-on, et trop grater cuise. (CHARLES D'ORLÉANS.)

Conferas et illa :

- Obsequium amicos, veritas odium parit. (TERENTIUS.)
- Ben servir acquisita amici
E'l vero dir nemici.
- Le dire voir est moult douteux.
- Oïr, ver y callar
Si quieres del mundo gozar.

— Odi, vedi, taci,
Se vuoi vivere in pace.

— If you say what you have seen,
You will tell what will shame you.

— Oi, voi, parle poi.
Se tu parles, garde-toi
De qui tu parles et de quoi.
Tout voir ne sont bel à dire.

Mihi persuasum est, si quis attente veterum adagia cum nostris componere studuerit, multa eorum quæ gallica existimantur hunc in antiquis scriptis inventurum; adeo inter se omnium populorum mentes et ingenia concordant!

Nonnihil tamen ad populorum historiam conferre pro-
verbia agnoscemus. Etsi enim adagiorum originem dete-
gere non possumus, tamen ex illâ quæ sæpius fieri solet
finitimorum populorum simultate nonnihil lucis elici po-
test. Nam, dum alii aliis obtrecebant, multa succurrebant
quibus mores suos invicem depingerent carperentque.*
Hoc primum; deinde quis non contendere ausit ex ipsâ
loquendi ratione conjectari posse, ut privatorum, ita po-
pulorum sensus ac vivendi rationem.

Ex adagiis etiam tum religiones in gente qualibet sanc-
tissimas, tum cætera instituta colligimus, vel intimos ve-
terum usus et familiarissimas consuetudines introspicimus
et ediscimus. Sunt adagia quæ gentium indolem, sunt
quæ regionum adspectum describunt. Nihil est enim quod
non vulgi lingua celebret; nunc mundi muliebris cultûs
frivolos et evanidos usus, nunc religionem ac cærimonias,

sæpe mythologiæ et priscorum temporum fabulas, sæpe clarorum virorum res gestas et nomina fideliter, ut depositum, servat et posteris tradit.

Inde manifestum est duplici modo historiæ adagia prodesse. Reliquum tamen est ut pauca utriusque generis exempla proferamus ac primum inspiciamus tum quam acri ingenii acumine, tum quanta veritate seipsos populi antiqui mutuo descriperint. Colophonis mores delineare, collectis aliquot adagiis, facillimum est : inter Græcos enim vulgo dici solebat :

— Ἐπέθηκεν Κολοφῶνα,

quum Colophonii seu navalibus seu equestribus copiis ceteras gentes superarent et victoriam iis partibus afferrent pro quibus stare decrevissent. Per adagium Κολοφωνία ψῆφος videre est eos prærogativum habere suffragium in Panionico conventu; sed in rebus tam prosperis non potuerunt quin superbirent et in nimiam efferrentur contumaciam, quod testatur proverbium :

— Ὅτις καὶ Μάγνητας ἀπόλεσε καὶ Κολοφῶνα.

Aliis et locutionibus *aurum Colophonium*; — *calceamentum Colophonium*, apud veteres celebrari comperimus; quibus ex omnibus apparet Colophonios maxime opulentes et arrogantes olim exstitisse.

Multa vero adagia astutos et mendaces populos indicabant :

— Ὁ Κρής τὸν Κρήτα, id est Cretensis Cretensem provocat,

— Πρὸς Κρήτα κρητίζειν,

— Κρής πρὸς Αἰγυπτίην, quo proverbio duas gentes simul attici lacescebant.

— Ὁ Κρῆς τὴν θάλασσαν,

quod per ellipsin recisum atque ironiâ dictum ita supplere possis : « Finge te Cretensem res maritimas nescire. »

Neque ab Ægyptiis abstinuit adagiorum malignitas :

— Δεινοὶ πλέκειν δὲ μηχανάς Αἰγύπτιοι.

vel *Cassioticus nodus* (a monte Cassio in Ægypto), celeberrimum apud veteres adagium. Inde αἰγυπτιάζειν et in Æschylo et in Theocrito reperimus.

Severius autem carpuntur populi divitiis, luxu et voluptatibus perditii :

— Ἀλαβάνδα Καρῶν εὐτυχιστάτη,

quam et Juvenalis memorat, inter urbes barbaricis deliciis corruptissimas. Huic proverbio plura alia adjungenda sunt, velut :

— Συβαριτικὴ τράπεζα.

Inde sybarissare, id est, opipare vivere dictum est; et famosa erat apud veteres *sybaritica saltatio*, necnon *sybaritici libelli*, *sybariticæ fabulæ*. Solebat et dici :

— Συβαρίτης διὰ πλατείας,

in viros per vias magnifice incedentes. Denique in tantum luxûs et arrogantiae processit Sybaris ut illam oppugnârent et everterint Crotoniatæ. Quod proverbio Συβαριτικὴ συμφορὰ commemoratum est.

Haud minus celebris quam Sybaritarum erat Syracusana mensa :

— Συρακουσία τράπεζα.

Siculi enim, secundum Erasmum (1) «ut erant olim opibus florentissimi, ita voluptatibus ac deliciis addictissimi.» Quum Luciani, tum Athenæi ac multorum aliorum testimonia, quæ lautam et opiparam Syracusanorum mensam celebrant, noster laudat Desiderius, neque multum abest quin Siculos cum Sybaritis omnino exæquet. Neque voluptatum modo, sed etiam divitiarum famam erant consecuti :

— Οὔτε τὴν δικάτην τῶν Συρακοσίων ἔχει.

Quam tamen opulentiam nimiam furacitate et avaritiâ paratam esse testatur adagium illud :

— Σικελὸς ἀμφακίζεται,

id est, uvam rapit immaturam.

Imbecillos atque inermes populos Græca malignitas assidue insectabatur. Μύσων ἔσχατος pro gravissimâ injuriâ habebatur, cum Mysi contemptui essent ; quod in Latinum sermonem translatum apud Tullium reperimus. « Ne Græci quidem, at Mysi aut Phrygii potius querelis moveri putas.» Μύσων λεία, pro summo contemptu apud Græcos vale-

(1) « Verum his temporibus Siculi frugalitatem Hispanicam et Italicam sic imitantur, ut propemodum superent, atque hujus proverbii gloriam plane perdiderunt. Incertum mihi est unde natum sit hoc vulgatissimum apud Gallos proverbium : scilicet ut, quum hominem vehementer cibo distentum velint intelligi, dicant : *Tam satur est quam Anglus.* Confer et illud : *Ebrius haud secus ac si Polonius esset.* »

bat, quasi indignum esset in manus eorum hominum venire quos impune latro quisque prædaretur.

— *Neque tertii, neque quarti Megarenses*, id est indigni qui ullum inter populos locum obtineant. Quod in Æginetas quoque detorquebatur. Multa istiusmodi referenda testimonia essent veteris hujus consuetudinis quâ populi certum invicem locum et ordinem assignabant.

— Δουλότερος Μεσσήνης, non sine luctu circumferebatur. Κέσκον οικεῖς, Cescon habitas, haud gratum quod

— Πόλις Κέσχος, γούν οὐκ ἔχουσα

vulgo celebratur.

— Ὅνος παρὰ Κυμαίους ignaviam et ineptiam Cumanorum irridebat, quum apud eos fabula esset asini leonem gerentis, quo viso ipsi primum fuerint territi. Nec Bæotis magis adagia favebant, quum absurdum et βοιωτικόν idem significare omnes arbitrarentur, ut :

— Βοιωτικὸς νοῦς, βοιωτικὸς νόμος, βοιωτικὰ αἰνίγματα, Bæotica cantilena.

Adagium illud Κύπριος βοῦς, id est σκατοφάγος in animalia magis quam in homines quadrare quis non existimaret? *Psyricæ facta* pro rebus malignè gestis nonnunquam memorabatur. Cui adagio Ἄρκαδας μιμούμενοι, id est Arcadum pauperiem imitati, aut Καρικὸν θύμα, Caricum sacrum, conferre decet.

Multa malam fidem et perjuria et proditores carpebant. Hujusmodi sunt Μεγαρικὴ μηχανή, ars Megarensis, id est aliud sentire, aliud loqui, quod ab Atheniensibus usui commendatum reor qui semper Megaren-

ses, ut qui fraudulentum et fallaces fuissent, probris ac conviciis lacescebant. Μεγαρίων δάκρυα itidem falsa habebantur.

— Φοινίκων συνθήκαι ne minimam quidem fidem habebant. Thraces *fœdera nescire* quisque confitebatur. Atticis vel ipsis adagia non pepercere. Dicebatur olim : *Atticus moriens porrigens manum.*

Adeo nulla fuit gentium cujus non vitium aliquod historiæ per proverbium mandaverint veteres !

Nunc venio ad ea quæ vel de moribus et religione veterum, vel de quotidiano domesticæ vitæ commercio, in adagiis occurrunt. Quum apud Græcos omnia fato regerentur,

— Ἀνάγκη οὐδὲ θεοὶ μάχονται,

ait Simonides. Quam quidem sententiam Adagiis Erasmus inseruit. Multæ circumferebantur locutiones e sacrificiis sumptæ, quales :

— *Persæpe sacra haud sacrificata devorat.*

— *Cum Delphis sacrificaverit, ipse carnes absumit.*

quod avidos et gulosos attingeret.

— Ἄκαπνος θυσία, *sacrificium absque fumo*, id est exiguum et tenue convivium.

In adagiis etiam eas fabulas reperire est, quæ vulgi et puerorum mentem occupabant, ut illa de Acco et Alphito, quarum mulierum nomine utebantur, si quis puerum a peccando deterrere vellet. In quotidianis sermonibus erant et locutiones :

— *Equum Scitanum.*

— *Aurum Tolosanum habet.*

Cætera inter adagia sunt etiam oracula :

— Ἄ φιλορηματία Σπάρταν ἔλοι, ἄλλο δὲ οὐδὲν.

Sunt verba in scholis crebro usurpata, ut Pythagoreum illud : *Ipse dixit*, αὐτὸς ἔφη, quod post Ciceronem Erasmus opportunissimè commentatus est.

Tantali lapis vel *Ogygia mala* multaque alia mythologiæ tempora referebant; sed plura de his addere fastidiosum sit, enumerationemque illam jam nunc iis locutionibus concludendam arbitror quæ præclara virorum aut feminarum nomina celebrant.

— Νιόβης πάθη,

— Ἀντιόπης θρῆνος,

— Ἴνoῦς ἄχη,

proverbiorum loco erant. Sic et : — *Melanione castior* — *Protæo mutabilior*, — *indoctior Philonide*, — *Zenone moderatior*, — *Iro, Codro pauperior*, ut apud Juvenalem reperitur; — *Cræso, Crasso ditior*; — *stultior Morycho, Coræbo*; — Μίδου πλουσιώτερος, — Πατροκλέους φειδωλότερος, — Πατροκλέους πρόφρασις.

— Ὀδυσσεύς μηχανή, Πυρρῶνδρου μηχανήμα, Σισύφου μηχαναί, Φρυνίχου πάλαισμα, famosa apud Græcos erant.

In litium amatores dicebantur : Πτολεμαίς ἡ δική, vel τὸ πάρνου σκαφίδιον. In gulosos, μυκῶνιος γείτων. In molleshomines, Κλεισθένην δρᾶν. In stolidos et scientia glorientes, ἄνθρωπος Θάλης, aut *Margites*. In nimium loquaces : Μόσχος ἄξων βουωτσῖον.

— Ἡσιόδου γῆρας, aut *Tithonis senectus*, *Nestorea senecta*, *Tiresia vivacior*, longævis viris alludebant.

— Ἀρχιλόχου πάτρις, de gentibus ad procacitatem nimium propensis, sed præsertim de Sicilia vulgabatur.

— Κινύρου πλοῦτος, vel Ἀγαθὰ Κιλικίων, divitias male partas arguebant. Contra, Λυσιστράτου πλοῦτον πλουτεῖς per ironiam pro paupertate adhibebatur. Ὑπερ τὰ Καλλικράτους, *ultra res Callicratis*, magnas divitias designabat.

— Σινοπίσαι dici solebat de iis qui lasciviæ vel etiam amori indulgebant. *Acesias medicatus est* aut *graviora Sambico patitur* aiebant, quoties aliquid in pejus inclinare videretur. Tantali nomen sæpius citatum reperimus : nunc Τανταλείαι ἀμωρίαι, nunc *Tantali talenta*, at præsertim *Tantali horti* quod inaccessa bona significat, occurrunt.

— Αὐγείου βουστασία, Augiæ stabula, pro sordido loco.

— Σιμωνίδου μέλη, pro emptis carminibus—Ἐρμώνιος χάρις, pro coacto beneficio dicere solitum erat.

Nullum est ferè præclarum in priscis temporibus nomen, quod non proverbio velut impressum et quotidianis sermonibus circumlatum fuerit. Ea est quasi pars immortalitatis quam quisque pro meritis, seu bonam, seu malam consequitur.

Ex iis quæ dicta sunt perspicuum est quem fructum vel ad litterarum, vel ad historiæ studium, vel ad mores adagia

conferre possint. Jam illud Hesiodium meminerimus :

Φήμη δ' οὐτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἦντινα πολλοί,
 Λαοὶ φημίζουσι, θεός νύ τις ἐστὶ καὶ αὐτῆ.

Si quis igitur parœmiographiæ studebit, non ideo videatur nobis inani circa voces studio occupatus. Contra ille, in his quæcumque circumferuntur, deprehendere possit quod de variis hominum sive ingeniis, sive moribus scitè dictum sit. Sed ne labor in colligendis adagiis impensus parum utilitatis vel auctori vel legentibus afferat, sagax et considerata ratio adhibenda est.


In judicando Erasmi libro ostendimus, quantum tulerunt vires nostræ, in hoc totum opus deficere quod nusquam appareat certa ratio, quæ totam materiem illustret, et nunc in eligendis, nunc in ordinandis, nunc rursus in explicandis adagiis dominetur.

Dum vero ipsorum adagiorum naturam et varia genera discernere tentaremus, jam inde manifestius effectum est, quâ divisione uti liceat in componendâ parœmiographiâ.

Qui igitur adagia colligere decreverit, exploratum habeat, utrùm historiæ an moribus, an denique linguæ curam sustinere velit : meminerit deinde aliam esse locutionum, aliam sententiæ, aliam proverbii naturam.

Qui autem omnia catervatim adagia, Erasmi exemplo, congregare velit, ille eâ demum conditione propositum finem assequatur, si materiam in singula capita distribuerit et singulis proverbiiis sententias aut locutiones eadem significantes subjunxerit.

Quod si quis hanc operis molem nostro tempore sibi susceperit, ille punctum omne feret, si Erasmi studium et ingenii acumen cum hac scribendi et componendi ratione conjunxerit, quam tunc ille non potuit, nos verò recentiores semper servare debemus.



VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, ipsis kalend. april. ann. MDCCLXII.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J.-VICT. LE CLERC.

TYPIS MANDETUR :

Parisiensis Academiae Rector,

A. MOURIER.

Vertical line on the left side of the page.
















THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

STALE STUDY
CHARGE

CANCELLED

STALE STUDY
CHARGE

Desiderius D. Erasmi Roterodami.
Widener Library 002869560



3 2044 081 762 197